non tempore ab omnibus ſcirſ, intelligique poſſint. Quod, quia, ut de *factis* univerſe diximus, fieri nonniſi *teſtificatione* poteſt; opus eſt *publicis* teſtibus, quorum alii aliis identidem ſuccedant, ut ſunt Magiſtratus. Cumque, ut res humanæ comparatæ omnes, ad mutabilitatem ſunt, tametſi optime conſtitutâ civitate, non defuturi tamen poſt annorum ſeriem, homines inquieti ſint, qui aut legem vocent in dubium, aut vim, ſententiamque ac præſcriptum legis; neceſſe eſt eos, quos *teſtimonio publico* præfectos dicimus, *authoritate* quoque circumdatos eſſe, cui ſtare, & cujus parere judiciis, interpretationibus, decretis omnes compellantur, quotquot reſecari a corpore noluerint.

§. III.

Conformata autem hunc in modum ſemel rite Reſpublica conſiſtet per ſeſe, & ferre ætatem plurium ſæculorum poterit. Nec vero opus eſt, ut omnes, qui in tabulis civium aut ſociorum numerantur, cunas ipſas naſcentis viderint, interfuerintque, cum prima legum fieret deſcriptio: Nam & disjunctiſſimi Americæ, Aſiæque populi regnorum Europæ reguntur jure;

& nos, qui postremâ pene ætate nati esse videmur, sic obtemperamus tamen, tanquam si auspices ipsi condendi primum imperii fuissemus. Satis scilicet est, in Rempublicam jam rite formatam nos esse ingressos; satis, hanc, post elapsa licet spatia sæculorum, iisdem, cum quibus orta est, moribus, iisdem legibus, & eorundem successione magistratuum regi, ut sit hodie istorum non minor quam olim fuit, & testandi authoritas, & judicandi potestas. — Neque item necesse est, nos aut Regem ipsum, aut sedem regni, aut consessum primi, interiorisve senatus aliquando vidisse. Videmus eos, qui proxime ad nos mittuntur testes arbitrique legum; & hi cum non suo, sed Reipublicæ nomine loquantur; perinde, ut Rempublicam ipsam, eos audimus: maxime, cum, si prævaricationis convinci possent, semper ad fontem ipsum provocatio foret & accessus liber.

§. IV.

Hæc itaque forma, hæc ratio est omnium humanarum societatum; hunc in modum nascuntur, sic adolescunt, sic diffunduntur per longissima non raro spatia haud minus temporum, quam regionum. Quodsi hâc

igi-